



1711 187296 60 pignori data

Sammelblatt!

D 172

L





g.  
DISSERTATIO HISTORICO-  
LITERARIA  
SISTENS  
SECULI XVI. ET XVII.  
**ERUDITOS LIX.**

<sup>QVI</sup>  
**SUAM COMMUTARUNT  
RELIGIONEM;**  
QVAM

*Consentiente Amplissimo Ordine Philosophico  
publicæ disquisitioni subjicient*

PRÆSES

**M. ANDREAS WESTPHAL,**

&

RESPONDENS

**ANTONIUS PAULI,**

Anclam-Pomer.

Jurispr. & Phil. Cultor.

Die Novemb. 1710.

IN AUDITORIO MINORI.

GRYPHISWALDIAE,

Typis CAROLI HÖFFNERI, Reg. Acad. Typogr.

*Mrs. Stern.*

g.

PERSPECTIVOTRICO  
SACRAE THEATRUM  
ERUDITIONIS

SACRA CONSTITUTIO  
RHODONIA

EDITIONIS TERTIAE

MANUSCRIPTA MUNDI





## LECTOR BENEVOLE!



I Historiae Literariae monumenta paulo accuratius perlustraveris atque investigaveris; multa eaque varia obvia habebis fata, quæ omni etate manfere Eruditos. Sic alii cum paupertate conflictari habuerunt, utpote *Xylander, Baudius, Bachovius, Jacob. Tollius & alii* infiniti, (quorum Historiam propediem quoque à me expectabis, licet quosdam jam adduxerit *Cl. Thomas Crenius in Parte V. Animadvers. p. 125. seqq.*) Aliis mors turpis ac violenta accidit, utpote *Brissonio, Thome Moro, Frischlino, Fran. Augusto Thuano, Vannino, Kubmanno, Hieronymo Magio, &c.* (sed & his peculiarem quandam destinavi Traditionem.) Alii gravia captivitatis & carceris mala perpepsi sunt, quo referas *Peccherum, Campanellam, Peirerium, Molinosum, Grotium, M. Antonium de Dominis, & alios*, quorum nonnullos non ita pridem produxit Dominus *Wolfius* in *Dissert.* quæ titulum gerit: *Carcer Eruditorum Museum.* Alii officio suo fueru exuti, utpote *Beckerus propter Mandatum Fascinatum; Balius ob libertatem dendendi &c.* Merito quoque hoc referas eos *Eruditos, qui suam communabunt Religionem;* quorum brevem jam quidem cinnabo Historiam, ordini Alphabetico accommodandam. Hæc enim methodus mihi videtur esse convenientissima; quam & aliorum meruisse adprobationem, multa edocent declarantque scripta. De cetero hos nobis praescribemus limites, ut eorum in primis eruditorum habeamus rationem, qui sive Lutheranismo, sive Papismo, vel etiam Calvinismo

nomen dedere. Fateor, insignem, imo amplissimum ejusmodi eruditorum mihi offerri numerum, ut vix unica Disseratio eosdem capere valeat; Ne verò huic Tractationi quid deficit, in me recipio & reliquos aliquando Bono cum Deo luci dare publicæ. Lubens interea multos prætereo Theologos, qui ex scriptis Lutheri, Lutheranorumque sunt conversi; quorum notitia hauriri poterit ex Dn. D. Gætzi Schedijsmato Historico-Theologico de Conversis Pomiſciis, ex Lectione Librorum Lutheri, Lutheranorumque Doſtorum, edito Lipsiæ 1705. in 4. Eo, ut quosdam saltē commemorem, retulit p. 32. *Urbanum Regium*; p. 33. *Martinum Bucerum*; p. 34. *Ambroſium Blaueſerum*; *Brentium*; p. 35. *Job Knipſtrovium*; *Eugenbagium*; & alios. Quod reliquum est, sumмum illud veneror Numen, ut Gratiam suam nostris conatibus adfulgere patiatur. Tu vero, L. B. nostris consiliis fave!

I.  
VAL. ACI-  
DALIUS.

*VALENS ACIDALIUS*, Witſtochio-Marchicus, cui ſecondum pariter ac præcox contigerat ingenium, ut hinc Bœclero in Libro Memoriali de Rebus Sec. XVI. p. 745. non immerito dicatur juvenis multijugæ eruditio-  
nis. Natura in primis eum ducebat ad excolandum stu-  
dium Poëſeos, cuius & anno etatis sue 17. & 18. non con-  
temnenda dedit ſpecimina. Cum Poëſi feliciter quoque  
conjugetabat ſtudium, quod vocant Criticum, cuius pariter  
egregii redundarunt fructus in orbem Literarium; testes  
funt note ejus eruditissimæ, quibus Vellejum Parterc. &  
Curtium illuſtravit. Excultis ab eo ſtudiis in Academia Ro-  
ſtochiensi & Helmſtadiensi, anno etatis 23., Seculi vero XVI.  
90. cum Daniele Kindleſch/ vel, quemadmodum quidem  
Acidalio dicitur, Bucretio, Vratislavienſi, Italos adiit, poſtea  
cum iisdem per triennium versatus. Et Padua quidem 1591.  
Notas Criticas in Vellejum Pat. luci exposuit publicæ. Cæ-  
terum Italia 1593. relicta, una cum Bucretio ſuo Vratislavie  
commoratus eft, ubi ſuas in Curtium Animadversiones elu-  
cubravit, anno 1594. Francofurti divulgatas. Deinde ani-  
mum ſuum adjiciebat ad Plautum illuſtrandum, qui vero la-  
bor quodammodo tardabatur. Nimirum anno 95. Franco-  
furti

furti publicabatur famosus iste libellus, quo anonymous quidam probare annititur: *Mulleres non esse homines.* Hujus fœtus Parens reputabatur noster Acidalius; at perperam. Evidem non potest absolvvi ab omni omnino culpa, ex eo præsertim capite, quod ansam dederit libello illi typis imprimendo; At elaboratio ipsi non potest adscribi, dum sanctissime testatus est, huncce fœtum a se se minime esse exclusum. Docet hoc Epistola ipsius Apologetica ad Jacobum Monavium, quam b. M. David Schultetus inseruit Tractatu suo, qui titulum habet: *Schau-Bühne der gelehrten* *Jugend* p. 14, ubi occasionem hujus libelli divulgandi ipse enarrat Acidalius; quæ ita se habet ex propria ipsius confessione: *Scis (ait) Cartiana illum (loquitur de Bibliopola) nostra edidisse, atque ut id genus hominum lucri cupidum est, cum aviditati ejus emolumeritum editionis non satis respondisset, quæsum persepe de jactura sua: quam ego mox illi facere alio genere libri promisi, è quo vendibiliore lucrum uberior faceret: ac jam id agebam, ut Plautina nostra, nunc ipsum demum absolute, quorum reliquam partem hoc momento, nisi calamitas ista intervenisset, ad eum dimittere cogitabam, conscriberem. Interim cum & in alias ejus mihi porro conciliandi occasione intentus essem, commodum (etsi incommodum dicere debo potius) accidit, ut he Thebes inter multorum manus diu pro Theatralibus nugis jaellata in meas etiam malo fato pervenerint. Jactatas enim diu ante sane verum est inter plurimos: Neque paucos & bonos & prestantes Viros nominare tibi possim, qui ante annos jam aliquor undecunque primum, eis è Polonia videntur, ortas viderint, legerint, pro oblectamento babuerint, inter se mutuo communicarint, descripsierint, descripsi fecerint. Et post paucula: Et exemplum quidem ejus apperii non ad meum oblectamentum, sed quia sic planibile erat, & à multi describendo vexabatur, in menem veniebat haud parvum inde lucrum typographo provenire posse, si excuderetur. Itaque cum Osthaus bene vellem, & de ejus commodo satagerem, ut dixi; ratus aliquam jactura partem ex meis hinc posse compensari, subito consilio illius utilitat id destinavi apud me tacitus, ac statim non te quidem (cui nescio quomodo non communicavi) sed aliis nonnullis consciis, nuntiavi illi, esse talen apud me Librum lucif-*

eristicum, quem si posset atque vellat edere suo periculo, me ei missum. Et post alia: *Rescriptum poposcit non multo post; misi ego statim.* Haecenius quidem Acidalius. Hæc dum agebantur Scholæ Neustaniæ tanquam Rector p̄fessor est, Religionem, Romano-Catholicam amplexus. At mors eum occupabat immatura; anno enim ætatis 28. suam finiebat vitam. Conf. Schultetus l.c. p. i. seqq.

II. Huic subjungendus est *GABRIEL URIEL ACOSTA*.

*ACOSTA*, Portugallus, qui juvenis animum ad studium Jurisprudentiae convertit, Religione Pontificia imbutus. At vero ex Christiano Amstelodami fiebat Judeus, ex Judeo Naturalista. Audamus ipsum Acostam, qui statum suæ Religionis ipse nobis exhibuit in scripto, quod extat sub titulo: *Exemplar vite humanae*, ubi ita: *In Religione passus sum incredibilia, & cum jam essem adolescentis, ac valde timerem damnationem eternam, cupiebam exacte omnia observare. Impossibile mihi visum est peccata confiteri more Romano.* Cum vero in Pontificia Religione quietem non invenisse, perecurri Libros Mosis & Prophetarum, mutavi domicilium, Amstelodamum veni, & preceptum de Circumcisione implevi, quia V. T. tam Judei, quam Christiani fidem habent. Ita ille. Præterea in hoc Exemplari *Vite Humanae* omnem Religionem Revelatam impugnavit. Cæterum refutavit istud Philippus à Limboreb, in Collatione amica cum eruditio Judeo de veritate Religionis Christianæ, quæ prodiit Goudæ 1687. in 4. Misero denique mortis genere perit Acosta; Occupans namque liberum sati arbitrium, sclopetur in se ipsum expedit. Conf. Kettneri elegans *Traſt. de Religione Prudentum p. m. 75.*

III.  
LEO ALLATIUS.

Seculo superiori omnium in se convertit oculos *LEO ALLATIUS*, Græcus, ex Chio insula oriundus, postea vero Bibliothecæ Vaticanæ Custos. Is nimurum adolescentis factus Venetias adiit, ubi Græcam Religionem cum Pontificia commutavit; Sibi enim persuaserat, Römanam Ecclesiæ parum à Græca dispareare. Quare etiam maximo labore ravit opere in demonstranda concordia Ecclesiæ Orientalis

lis & Occidentalis, quam & strenue defendit ac tutatus fuit in opere *de Perpetua Confessione Ecclesie Orientalis & Occidentalis*, III. constante Libris. Eruditus vero observant de hoc opere, rectius Allatium titulum facere potuisse de Perpetua Ecclesia Orient. & Occid. Diffensione. De cætero tenacissima floruit memoria, judicio contra destitutus; ut hinc non immerito ei concederit locum inter Polymnemones Cl. Mich. Richey, Rektor Stadensis Doctissimus, in *Programmate I. Polymnemones exhibente, editoque Stade 1706.* qui porro in notis subjunctis addit, quod una eademque penna scriptoria per integras XL. annos ad exaranda Graeca usus fuerit; eaque tandem amissa, vix lacrymas cohibere potuerit. Conf. de cætero Clarmundus in *Vitis Cl. in Re Liter. Virorum P. VI. p. 74.*

Strenuo Religionis Catholice defensori opponimus fortissimum Religionis Lutherane propugnatorem **NICO-**

**LAUM AMBSDORFFIUM.** Religioni is primum addictus erat Pontificiæ; hujusq; Sacris innutritus in Academiam Wittebergensem 1502. feso contulerat. Cum vero Lutherus strenuo feso obiceret Indulgentiarum nundinatio-ribus, Evangelicæ Doctrinæ nomen dabat Ambsdorffius. Conf. Illust. Seckendorffius in *Hist. Luther. Lib. 3. §. 96.* & Rollius in *Biblioteca Nobilium Theologorum p. 82. seqq.*

Idem Seculum XVI. valde illuvravit Jctorum eruditissimus pariter ac Celeberrimus **FRANCISCUS BAL-**

**DUINUS**, natione Belga; Juris, Historiæ, & Literarum, quæ ab humanitate dicuntur, peritissimus. Hinc & varia

loca sua doctrina illuvravit, utpote Genevam, Heidelbergam, Duacum, Parisios & Andegavium; At vero in Religione varius ac mutabilis, vel septies commutasse Religionem prohibetur. Hujus rei gratia producam Epistolam Antonii Gværini, ad Balduinum 1564. exarataam, infertam quoque à

Dn. Struvio Biblioteca Antiquæ 1705. p. 202.; in qua sequentia fluenta verba: Ejectum te, Balduine, & excommunicatum ab omni-

*negare*

IV.  
AMBSDORF-  
FIUS.

V.  
FRANC.  
BALDUI-  
NUS.

negare non potes. NB. Septies his viginti annis Religionem mutasti. Non sepius fere serpentes pelle mutantur. Educatus es apud tuos in Flandria Papistice. Postea Geneva Christianam Religionem professus es: eoque nomine aliquoties ad Corporis Christi communionem accessisti: Inde Lutetiam profectus, Papisticum habitum recepisti. Mox Geneva reverfus, & in Calvinii contubernio, mensa, familiaritate messes multos commoratus, iterum Evangelici nominis factus es. Postea Biturigibus ad Papisticam Idolatriam, & tanquam canis ad vomitum, rediisti. Inde Argentoratum profectus, Evangelicum te professus es: cum Petro Mariye vixisti; Canam Dominicanam in Gallorum Ecclesia amplius decies participasti. Mox Heidelbergam delatus, confessioni Gallicarum Ecclesiarum, sub qua paulo ante Canam Dominicam duodecies sumseras, hostis factus es, & Heshusianis te partibus dedisti. Tandem in Galliam reverfus, quarum Papista factus es. Horum si quid falsum aut fictum sit, volo, ut mibi oculos eras: aut ut calumniorum tuum supplicium imitemur, crura mibi suffringas. Haec tenus Gværinus. Certe testimonium hoc tot circumstantiis & obligationibus est munitum, ut fixam fidem denergue queamus. Hinc Theodoro Betzæ & Protestantibus audit Ecebolius, quia Religionem, tanquam indusum mutavit. Conf. omnino Struvia l.c. p. 303. it. Belius in Dictionario; & Sammarthanus in Elog. Lib. 2. p. m. 85.

VI.  
BACHOVIA-  
US.

Baldurio subiungimus Jctum non minus celebrem, REINERUM sc. BACHOVIUM, primum Polit. postea vero Juris Prof. in Academia Heidelberg. Haec tenus quidem Bachovio omnia ex animi fluxerant Sententia; Cæterum bellum, quod postmodum vexabat Palatinatum, ipsi imponebat necessitatem derelinquendi Heidelbergam; Musæ enim quasi in exilium agebantur; summaque imis miscerabantur. Auffugium Bachovio nostro prebebat Heilbronna: Cumque tempestas belli quodammodo sœvire desisset, Heidelbergam repetebat. Verum cum ibidem non omnibus ipsis responderent voto, consilium capiebat Argentoratum adeundi, tutum satis ab hostium insultibus. Sed neque hic malo suo medelam adferre potuit, vana munera obtinendi spe diu laetatus. Cum igitur in tanta rerum difficultate

QVI SUAM COMMUTARUNT RELIGIONEM.

ficultate & summa egestate consilium ipsi hæreret, ac prope torpor quidam animum ipsius occupasset, in hoc angustiæ æstu tutissimus portus consiliorum & fortunæ ipsi Religio Romano-Catholica visa est, quam proinde professus fuit; collato iterum in eum Professoris munere in Acad. Heidelb. ab Electore Bavariae Maximiliano. Prolixius vitam Bachovii & fata perfecutus est *Gundlingius* in P. I. *Oriorum* p. 216. seqq. qui loco quidem cit. in medio relinquit, an Bachovius ad finem usque vitæ Religioni adhaeserit Catholicæ; at verò in *Addendis*, quæ subiecta conspicuntur Parti II. *Oriorum*, subiungit quædam, secum ab Amico quodam ex Boecleri Adversariis communicata, quippe quæ docent, Bachovium in ultimo vitæ suæ termino Religioni Catholicæ iterum renunciasse; æger enim Notarium & testes advocari jussit, & formaliter confessio Instrumento, defectionem suam revocavit ac detestatus est.

Paria cum Bachovio fecit JCtus itidem celebratissimus  
**CHRISTOPHORUS BESOLDUS**, in omni disci-

VII.  
BESOLDUS.

plinarum genere versatissimus. Docuit primum Jura in Academia Tubingensi; deinde verò Consiliarii Cæsarei & Bavarii honore ornatus, & munere Professoris in Academia Ingolstadiensi auctus, Sacra Lutheranorum 1635. deseruit; cuius fœc defectionis in peculiari scripto redditit rationes, inter quas, quemadmodum Besoldus quidem prætendebat ac causabatur, utramque faciebat paginam prava Lutheranorum vita ac discordia. At veram ejus defectionis rationem conjectura sua sese assequi putat Dn. *Gundlingius* l. c. p. 243. afferens, prælium illud, ad Nordlingam commissum, ipsum ad partes Pontificiorum traxisse; quippe quod magnum momentum secum vehere deprehendit, dum illud Pontificiis multum virium roborsisque posset addere, ut lacertos iterum movere valerent.

Per certamina, Illust. Pufendorffio mota, inclaruit in-  
primis **NICOLAUS BECKMANNUS**, Prof.

B

VIII.  
NICOLAUS  
BECKMAN-  
NUS.

Juris

Juris in Acad. Scanorum Lundinensi; quippe qui *Indicem Novitatum*, à Josua Schwartzio concinnatum, contra expressam Caroli XI Regis prohibitionem edendum curaverat; quare & suæ audaciæ ac temeritatis justas dedit pœnas, dum Index iste Novitatum publice Lundini manu carnificis comburebatur (quemadmodum jam observavi in *Dissertat. mea Epistolica de Libris publica autoritate combustis.*) Cui & hoc accedit, quod Beckmannus suo munere exutus, ex omnibusditionibus Svecicis exterminaretur & ejiceretur. Quare hinc inde oberrabat, officium quoddam recuperaturus; at spe munieris in terris Protestantium obtinendi excidens, ejurata Religione Lutherana, in Pontificiorum transibat castra. *Conf. Ludovici Hist. J. N. p. m. 32.* It. *Vita, Fama, & Fata Literaria Pufendorffiana*, adjecta Versioni Germanicæ Tract. Pufend. de statu Imperii Romano-German. p. 694.

**IX.** Seculo superiori magnum quoque dedit strepitum  
**BERTIUS. PETRUS BERTIUS**, Belga, Vir Græce & Latine doctissimus, & in disciplinis, ad Humanitatem ducentibus, exacte versatus. Fuit ipsis fidei Bibliotheca Lugdunensis commissa, quæ & ipsi suum debet ordinem. Insuper dogmata illa, quæ hominum mores formant, in eadem inculcavit Academia, postmodum quoque Collegii Theologici Regens constitutus. Edebat verò Dissertationem, qua *Justitiam Christi imputatam infringere allaborabat*; it. *Syllogen Thesum Theologicarum*; nec non vitam Arminii. Secutus verò placita Arminii ab officio suo removebatur; qua re impulsus sacra sua mutavit, Religionem Romanam amplexus. Invenierat verò auffugium apud Ludovicum XIII. Regem Galliarum, concedentem ipsi provinciam Cosmographi. Commorans sic Parisis Orationem habuit, qua causas commutatae Religionis reddidit; hæc & typis expressa prodiit Parisis 1620.; & postea Antwerpia Latine, Gallice, & Belgice 1623. contra quam calumnum strinxit Joh. Balchafar Schuppius, celeberrimi nominis Theologus. Latius hæc exposuit Magnif. Dominus D. Mayerus in *Historia Arminianismi MScripta*.

Nefas

Nefas esset hoc quidem loco præterire **JOHAN-**  
**NEM BODINUM**, sumnum JCtum, Politicum & Hi-

JOH. BODI-  
 NUS.

storicum ; de cuius Religione varia, eleganter observata attulit Vir Rever. Dn. D. *Dicennarius in Dissert. de Naturalismo cum aliorum, tum maxime Job, Bodini p. m. 4. seqq.*; quem quidem præeuentem sequar, non dubitanus ipsius verba mea facere; quæ ita se habent: *De Religione hominis (Bodini) certius nihil dici potest, quam secundum varios etatis annos variam fuisse. In Romana primum, cui innutritus fuerat, communione externa aliquamdiu quidem vixit, etiam puer, quod Thuanus quidam certo affirmarunt, in Carmelitarum canobio vitam Religiosam professus, non illi tamen Ecclesia integrâ mente postea sic addictus, ut in omnia ejusplacita sibi jurandum crederet. Et post paucula: Neque tamen ipse Bodinus animi, cum fide Pontifica non ubique conspirantis, sensa sic occultare poruit, quin istud perquam sagacium narium hominibus Jesuitis suboleret, & ille adhuc superflues eorum in se concitaret censuras. Nam Viri indifferenti, & Protestantibus non iniqui, nomen à Jesuita anonymo jam 1590. reportavit. Anton. vero Possevinius emissus biennio post singulari de Job. Bodini Libris consideratione & cautione non uniuersum Haref eos alligavit. Quibus non multo post fata Bodini Martius Detrio accessit. De ejus vero ad Calvini partes inclinatione non disserre modo Thuanus testatur, dum illum olim Protestantum doctrinæ addictum, nec ab ea multum postea alienum creditum resert; sed Paulus quoq. Colomesius nuper allato prolixioris Bodiniane Epistole, cum suo Parente à D. Pictorio Nobili Andegavo communicato, fragm ento confirmat, quo se Bodinus idolomania infestissimum proficeret. Nihilotamen minus ex ipsis Reformatis Mericus Cajabonus sibi adhuc dubitandum duxit, Protestans an Pontificium fuerit. Demum ita concludit: *Quo nos multo magis bestiamus, an eras adulta Bodini ulli omnino Religioni studuerit. Sane qui Pontificiam primo, mox Calvinianam sectatus fuerat, eo tandem degeneravit, ut non modo neutrā, sed plane nullam suam fecerit, seque ipse omni exuerit Christianismo. Haec tenus ille.**

Ordo denique nos dicit ad Illustrem **JOHAN.**  
**CHRIST. L. B. de BOINEBURG**, Virum ad or-

XI.  
 de BOINE-  
 BURG.

nandas & juvandas Literas quasi natum ac factum. Summa enim Rei Literarie cognitione imbutus fuit, ejusque sumnam habuit curam, dum omnia sua consilia, omnesque suos conatus eo retulit; testantibus ejus Epistolis ad Dietericum exaratis, editisque Noribergæ 1703. in 12. quæ docent, eum Literarum, quæ ad Humanitatem pertinent, ornamenti egregie fuisse excultum. Vitam ejus ex ipsius Epistolis adornavit Dn. Struvius in *Actis Literariis ex MS. eritis & collectis*, & quidem Fasciculo III. qui Jenæ prodit 1705.; ex qua hoc saltem observaverim, quod post varias easque graves provincias, quas summa cum laude in Aulis ornavit, anno 1656. Religione sua cum Pontificia mutata, Electori Moguntino, Johanni Philippo factus fuerit à consiliis; quæ & summa cum dexteritate ac prudentia direxit. At aliorum invidia eum munere suo exiit. Quare postmodum, partim in prædiis, partim Francofurti commoratus est, otio indulgens Literario, interdum & Legationibus nonnullis fungens.

XII.  
CARTESI-  
US.

Nescio, an hoc etiam referam *CARTESIUM*, quippe qui illis ipsis, quibus cum communia coluit sacra, movit suspicionem, acsi Calvinianæ fayeret Religioni, apud Religioni huic addictos per magnum vitæ spatum commoratus. Sunt & inter ipsos Reformatos, qui eum suæ Ecclesiæ afferere non dubitant. At verò adhæsisse eum perpetuo Ecclesiæ Romanæ, multis rationibus evictum dedit Dn. D. Ritter in *Dissert. eleganti de Religione Cartesii p. 21. seqq.* hic Gryphiswald. 1705. habita. Ipse namque Cartesius P. II. Epist. 49. Religioni Catholica se addictissimum profitetur, *qui omnes ejus Praesules summa veneratione suscipiant*. Cui & hoc accedit, quod in omnibus sese ad Cœtus Romani ritus accommodaverit, audiendo Missas, usurpandoque Eucharistiæ Sacramentum.

XIII.  
CHECUS.

Post hunc locum sibi postulat *JOH. CHECUS*, (Cheke,) Anglus doctissimus, & in Græcis in primis Literis pro temporis illius, quo floruit, captu ad miraculum usque versatus; in cuius vita describenda multi Viri præstantes inge-

ingenii sui exercuere vires; cæterum iis omnibus palamam præripuit *Johannes Strype*, qui vitam ejus una cum Tract. ejusdem de *Superstitione luci* publicæ Londini 1705. in 8.; quo de Libro conf. *Acta Lipsiensis*, 1707. p. 188. ubi vita hujus Checi, ad ductum Auctoris modo laudati repræsentata conspicitur. Nimirum summò eum favore atque amore professebatur *Henricus VIII. Rex Angliae*, qui eum ab Academia Cantabrigiensi ad Aulam evocatum, Filii sui Eduardi educationi atque informationi præfecit; qua & summa cum laude perfunctus est. At post Regem demortuum, omnia quasi in ipsius casum contentebant ac conspirabant. Habebat namque sibi adversantes, qui Religioni addicti erant Pontificiaæ, inter quos eminet *Cardinalis Polus*; imo ipsam Reginam Mariam sentiebat iratam. Tandem vero res ejus hunc fortiebantur eventum, ut Checus, pernegans Pontificiorum Transubstantiationem, in exilium ageretur. Exulem eum recipiebat Argentoratum; sed hic captus, & in Angliam reductus in Turrim Londinensem conjiciebatur. De eo, hic detento, sæpiissime quæstio habebatur; cumque Religionis causa se detentum sentiret, constituebat secum, fangvine suo potius semel agnitam signare veritatem, quam ab eadem recedere. Verum enim vero non diu in ea perseveravit sententia, dum igne aliisque pœnarum generibus territus, Romanæ Ecclesiæ se se submisit, Palinodia publice recitata. Quæ res animum ejus adeo angebat, & ita cruciabat, ut intra anni spatiū ex animi mœrore mortem sibi contraheret.

In superioribus produximus nonnullos JCtos, eruditio-  
nis fama conspicuos, quibus merito comes adjungitur  
**ARNOLDUS CORVINUS**, Batavus, JCtus Celeber-  
rimus, Consiliar. & Prof. Moguntinus sat inclutus. Scilicet  
à Pastoratu Lugdunensi ad JCtos abiit, & tandem, ut ver-  
tumnus in Religione, per Testamentum prodidit, se in fide  
Romano-Catholica moritum esse. Quod & contigit,  
dum in Pontificiorum transgressus castra, in Aula Moguntina

B 3

Con-

XIV.  
**CORVINUS.**

Confiliarium, & in eadem Academia Professorem Jur. Can. egit. Conf. *Nova Literaria Germania* 1706.

XV.  
COLETUS.

Revertor paululum in Angliam, quæ duos Viros illustres nobis suppeditat, utpote *Johannem Coletum & Thomam Cranmerum*. Et *COLETUS* quidem, Eques Angliæ australis, reiecta Pontificia, Religionem Reformatam sub Henrico VIII., admisit. Conf. *Rollius* l.c. p. 206.

XVI.  
CRANMER.

Huic associo *THOMAM CRANMERUM*, in Anglia natum, & Martyrio 1556. adfectum. Exorta in Germania Evangelii luce, & Cranmer Ecclesiam Anglicanam purgare aggressus est, Pontificis Romani Primatu rejecto ac damnato. At memoratu dignum est, quod mortem, sibi à Maria Regina intentatam, evitaturus, Palinodiam cecinerit, ad Pontificiam reversus Religionem. Cæterum nihilominus rogo adjudicatus, Palinodium, qua suam ejuraverat Religionem, retractabat. Conf. *Rollius* l.c. p. 267. seqq.

XVII.  
de la CROSE.

Acedo denique ad Ornamentum illud Berolinense, *JOHAN. CONRADUM de la CROSE*, Gallum; qui vero ob Religionem Patriam relinquere coactus est, dum ē castris Pontificiorum ad Reformatorum transiisse dicitur. Recepit se proinde in Hollandiam, ubi Cl. Johanni Clerico manus obstetricantes prestiti in conficienda *Biblioteca Universali*. Hinc Berolinum delatus est, ubi ipsi cura Bibliothecæ Regiae splendidissimæ demandata est. Sane varia et eaque egregia hujus Viri in Orbem Literarium extant merita. Conf. der ausführlicher Bericht von allerhand neuen Büchern p. 186.

XVIII.  
de DOMINI-

*MARCVS ANTON. de DOMINIS*, Vir, cuius memoria florebit per omnium Seculorum memoriam. Archi-Episcopus adhuc Spalatinus edebat nimirum 1617. insigne illud Opus de *Republ. Ecclesiastica*, in quo demonstrare annitebatur, quod forma Republ. Christianæ non sit Monarchica à Papa, sed à Christo dependens; rejecto insimul Petri Primatu. Quo ipso sane procelas Ecclesiarum Romanarum in se irritabat, cum hac

hac ratione auctoritas & Monarchia Curia Romana non parum labefactaretur atque imminueretur. Invidiae igitur tempestatem advertens, reliqua Dalmatia, ubi Primatem agebat, per Germaniam atque Hollandiam Britannos adiit, apud quos Religioni Romana renunciabat. At vero per Legatum Hispanicum spe laetioris conditionis, Cardinalitiae sc. dignitatis, allectus Romanum repetiit; sed redux factus carcere demandabatur, in quo & vitam finiit; Corpus vero una cum scriptis cremabatur, cinetibus in Tiberim congettis. Conf. omnino Korboltus in *Historia Eccles.* p. m. 873. & Clarmund. l.c. P. VIII. p. 108. it. Kettnerus in *Traict. de Religione Prudentum* p. 39.

Hoc relicto, ordo nos dicit ad *DANIELEM XIX.*

*EREMITAM*, Virum doctrina insignem; qui suam *EREMITA*, debet nativitatem Antwerpiae, editus in lucem 1584. Juvenem eum jam in deliciis habuere Viri eruditio fama florentissimi, puta Marcus Velsius, Janus Gruterus, in primis vero eruditorum tunc temporis facile Princeps Josephus Scaliger; quippe qui eum adeo diligenter Isaaco Casaubono, tunc quidem Bibliotheca Parisiensis Praefecto, commendavit, ut & is humanissime Eremitam exciperet, efficeretque, ut iisdem secum frueretur aedibus; Unde contigit, ut Eremita daretur facultas & Bibliotheca Parisiensis & Casaubonianæ. At vero brevi temporis interposito spatio, Vicquii, hospitiis sui, pervulgatione impulsus, Religionem Reformationam cum Pontificia comunitavit. Cujus mutationis hæc dari solet ratio, quod Eremita neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum noverit, aut ceperit terminum. Monachus Franciscani Ordinis, natione Portugallus, placitis Religionis Pontificie eum imbuisse dicitur. Quid? quod Eremita tunc temporis dixisse perhibetur, se paratum promptumque esse ad omnia ea, de quibus tunc quidem controversiae agitabantur, vel defendenda, vel impugnanda; modo inde commodi quid sibi posset promittere & polliceri. Casaubonum, quem modo diximus, mutata ejus Religio valde commovit, adeo, ut in Literis, anno

1603.

1603. ad eum directis, omni ratione tentaverit, eum à Catholica retrahere Religionem. At verò precibus ejus nullum concessit locum. Conf. Clarmund. l. c. P. IX. p. 202. De itinere ejus in Italiam Germaniamque suscepto conf. Cl. Arndius in Bibl. Aulico - Politica p. 105. Itineris sui, per Germaniam facti, & fructus extare voluit in Itinerario Germanie, de quo conf. Struvius in Bibl. Pöilos. p. m. 184. & Paschius in Tract. de Variis modis Moralia tradendi p. m. 303. Certe ingenii ejus monumenta nitor atque elegantia styli valde commendant; sunt enim ab ingenio expresa politissimo.

XX.  
**TAN. FABRUM.** Eremite comitem addo Virum pariter eximium atque ingeniosum **TANAQVIL. FABRUM**, cuius vitam inter alios dedit Cl. Petrus Dan. Huetius in Originibus urbis & Agri Cadomensis, ex quibus nonnulla, vitam ejus concernerentia excerpterunt Excell. Collectores Actior. Lipsiens. 1704. p. 188; integra vero Huetii verba Animadversi suis Philologicis & Historicis Par. XIII. p. 101. inferuit Thomas Crenius; quea ita fluunt: Tanaq. Faber Cadomi natus est anno 1615. & juvenis Clerum sequutus habitum Presbyteri jamjam usurpaverat. Litterarum autem studio dulcius, Lutetiam abiit, & à Romano cœtu alienor redditus, ad Reformatos accessit, qui illum Salmurii Preceptorem in tertia, quam vocant, classe, tenui salario fecerunt. Pauperitate coactus redire cogitabat ad Pontificios, oblato ipso eodem tempore in Academia Heidelbergensi Professoris munere. Haec tenus dicta docent, eum, rejecta Religione Pontificia, ad Reformatos accessisse; at verò eum paupertate vexatum ac pressum ad Pontificios recedere fecum constituisse. Ceterum id à multis, qui Fabrum propius noverant, in dubium vocatur. Alias in Græcis Latinisque Scriptoribus gnaviter fuit versatus; sed à multis ejus audacia in conjecturis & emendationibus Criticis improbat, utpote à Viro Summo, atque Illust. Ezech. Spanheimio, Conringio in Conringianis p. 122. Job. Clerico in Artis Critice P. III. Characterem ejus expressit Benedictus Hopferus, Prof. Tubing. in Epistola de Viris eruditis, quos in Gallia, Anglia & Batavia salutavit, quea subjuncta est Rolandi Maresii Epistolis p. 673. editis Lipsiæ 1687. in 12. ubi ita p. 676: Qua libertas in ejus scriptis; eamdem

QVI SUAM COMMUTARUNT RELIGIONEM.

17

dem & in familiarī vite consuetudine offendit, salibus & leporibus  
nunquam vacuus. Suis concessit fatis anno superioris Se-  
culi 72.

Huic succedat **GIPHANIUS**, JCtus varix ac rara  
eruditionis. Docuit is primum Argentorati, postea Altorffii,  
& Ingolstadii; denique à Rudolpho II. Imperatore ad Con-  
filiarii evetus est dignitatem; assumta ab eo Religione Pon-  
tificia. De cetero in Religione admodum inconstans fuit;  
In Hollandia enim placita Reformatæ Ecclesiæ secutus est;  
Argentorati & Altorffii Lutheranæ; denique Romanæ. Mu-  
tata vero Religionem dicitur, insatiabili honoris & pecuniae  
cupiditate vexatus. Conf. Clarmundl. c. Part. III p. 12, & Gund-  
ling l. c. p. 241,

Seculo hocce præsenti omnium eruditorum in se con-  
vertit oculos **JÖHAN. ERN. GRABIUS**,  
Regiomontanus, hodie verò in Anglia degens, ubi in  
Antiquitatibus Ecclesiasticis excutiendis atque excolendis  
omnes suas cogitationes collocatas habuit. Hic in Eccezia  
Lutherana educatus, postea ad Pontificiorum accessit par-  
tes; cuius sui consilii etiam exposuit rationes in peculiari  
scripto, recensito quoad palmaria momenta in Acta Lipsi-  
ens. 1696. p. 303. seqq. Ceterum simul ac scriptum illud esset  
oblatum Consistorio Sambiensi, Serenissimus tunc quidem  
Elector Brandenburgicus tribus Theologis demandavit cu-  
ram ejus scripti examinandi, utpote 1.) Spenero, qui &  
Vindicias f. der Evangelischen Kirchen-Rettung edidit Francof.  
1695. in 4. conf. Acta Lipsiens. 1696. p. 303. Secundus erat Jo-  
hannes Gvili. Baierna, qui 1695. publicavit grundliche Erweifung &c.  
1. solidam Demonstrationem, quod Lutherus & ejus affectio non schi-  
smatis, nec Heresios jure accusari queant &c. vid. Acta Lips. l. c.  
p. 315. Tertius est Bernhardus von Sanden, qui Regiomonti  
1695. in 4. edidit die Beantwortung der Dubiorum M. J. E. Grabiis;  
conf. iterum Acta Lips. 1696. p. 317. Ex Borussia sese in Silesi-  
am contulit; qua relista, Angliam petiit, membrum Eccle-  
siæ Anglicanæ sese professus, hodieque ibidem eruditio-

C

fama

XXI.

GIPHANI-  
US.

XXII.

GRABIUS.

fama florens. Conf. der ausführliche Bericht von allerhand neuen Büchern p. 133 seqq. ubi simul opera ejus recensentur.

**XXIII.** **GRÆVIUS.** Ab hoc pedem promoveo ad Virum quendam, in omni studiorum genere prisci ævi versatissimum; **JOHANNEM GEORG. GRÆVIVM** innuo, qui Naumburgi 1632. natus, post visum Academiam Lipsiens. in Hollandiam concessit, ubi Blondelli permotus auctoritate Religioni Reformatæ nomen dedit. Meritis ejus, in Rempublicam Litterarum maxime egregiis, enarrandis supercedeo. Hoc saltem addo, quod cum magna Literarum jactura defunctus sit Ultrajecti 1703. Conf. interim *Petri Burmanni Oratio, in Grævii funere dicta*, quæ adjuncta est Grævii Epistolis, à Viro Summo J. A. Fabricio Hamburgi 1707. in 8. emissis; vid. & *Nova Liter. German. 1707.* p. 173.

**XXIV.** **GROTIUS.** Nescio, an hic etiam locum concedam Magno illi **HUGONI GROTIO**, quem *Virum in Religione amplissimum* haud immerito vocavit Christina Regina. Non tangam ea, quæ alias de Religione Grotii adferri solent, contentus saltem hic adduxisse, quod de eo refert Paraltus in *Elogiis Virorum illustrium* p. 67. scilicet quod parum abfuerit, quin Dionysii Petavii consiliis adductus, Catholicò-Romanam amplectetur fidem, nisi ritus abjurationis publicæ ipsi obstitisset; Thomas quoque *Crenius in Animadvers. suis Philologicis & Historicis P. V.* p. 83. ostendit, quam propensus fuerit Grotius in Papistas. Conf. & Keitnerus l. c. p. 36. seqq.

**XXV.** **HOLSTENIUS.** Vocat nos tandem **LUCAS HOLSTENIUS**, Vir, si quisquam alias, nominis clarissimi, & eruditissimæ, quam totus merito admiratur orbis Literatus. Genuit eum Hamburgum 1596: Cum Literarum, quæ ab humanitate nomen fortuntur, solida notitia imbutus esset, varias perlustravit regiones, utpote Galliam, Angiam, Hollandiam, Germaniamque, suam eruditissimæ variis peregrinationibus magis magisque firmaturus. Non verò contentus erat modo dictas peragrasse regiones, sed subiit eum

eum quoque cupido adeundi Italos; apud hos cum eruditio-  
nis fama jam increbuisse, omnium in se convertit amo-  
rem admirationemque; adeo quidem, ut Cardinalitia digni-  
tate ornatus, custodia Bibliothecæ Vaticanae augeretur, Cæ-  
terum eruditio Holstenianæ famam valde commacula-  
vit Religio ejus cum Pontificia commutata. Conf. omnino  
Magnif. nostri Dn. D. Mayeri, Disserit, quæ prostat sub titulo:  
*Hegoucigos s. ad tempus credentes, habita Wittebergæ 1686. ex*  
qua sequentia huc transfero: *Tandem Grotium convenit, & ad-*  
*bus dubius, Romanane nomen daret Ecclesiæ, ab eodem fuit indu-*  
*ctus, dicente, nullam esse in doctrina Ecclesiam puriorem, in cultu &*  
*moribus corruptiorem; quod ipse Holstenius Rome cuidam docto nar-*  
*ravit, postea eidem exprobavit Rivetus in diaλυσ. Grot. p. 57. Hafste-*  
*nus ille. Conf. & Clarmund. l. c. P. III. p. 49.*

Quemadmodum de Literis elegantioribus præclare me-  
ritus est Lucas Holstenius: Ita de Jure Civili Celeberrimi  
nominis Vir, *FRANC. HOTOMANNUS*, Parisi-  
nus; cuius majores in Silesia querendi sunt. Cæterum no-  
ster à Religione Catholica ad partes Calvinii accessit, suæque  
libertati consulturus, Lugdunum se contulit, patria relicta  
fede, abjectaque proxima spe honorum, & opulentí con-  
jugii. Factum hoc adeo exagitavit Parentem ejus, ut ei bo-  
nis paternis excluso spem alimentorum præscinderet. Qua-  
re minime noster Franciscus commotus, continuo illa Epi-  
curi verba exclamavit: *Habeamus aquam; habeamus polentiam;*  
*Jovi ipsi de felicitate controversiam faciemus;* referente Gravina  
de Orru, & Progressu Juris Civilis p. m. 263. edit. in 8. Neque in-  
posteriorum animo fractus est, variis licet ob Religionem per-  
secutionibus impetratus ac vexatus; quin potius Religioni  
Calviniane constantissime adhæsit, ut nulla ratione se ab  
eadem divelli pateretur. Gravina addatur *Sammarthanus*  
*in Elog. Lib. 4. p. m. 73. & Colomesius in Gallia Orientali p. m. 164.*

Inter hujus generis eruditos referendus quoque est  
*SAMUEL HUBERUS*, Bernas Helvetius, qui è Re-  
formata Ecclesia ad Lutheranam, post celebratum Mom-

C 2 pelgarti

XXVI.

HOTOMAN-

NUS.

XXVII.

SAM. Hu-

BERUS,

pelgarti 1586. inter Jacobum Andreæ & Bezam colloquium, transiit, constitutus deinde Prof. in Acad. Witteberg. Hic Reformatorum doctrinam, quam fovent de *Prædestinatione*, summa animi vehementia impugnaturus, in alium prolapsus est errorem; cuius quidem controversie Historica enumeratio non est hujus loci; sed brevitatè studens, remitto ad *Kortbolti Hisṭor. Eccles.* p. 836. & ad *Alberti Interesse pricipiarum Religionum Christianarum p. m. 270. & 275.* Conf. & pecularis *J. A. Schmidii Dissertatio*, Helmstadii ventilata.

**XXVIII.  
HUNNIUS.**

Ingentem quoque Seculo superiori excitavit strepitum **HELFRICUS ULRICUS HUNNIUS**, filius Ægidii Hunni, Theologi illius insignis Witteberg., & frater Nicol. Hunni, ex Prof. Witteberg. Superintendensis Lubecensis celebratissimi. Hic primum in Academia Giessensi Jura professus, postea Coloniae Pontificiorum amplexus est Sacra, causatus, Lutheranam Religionem ita esse comparatam, ut vitæ pessimæ suppeditaret materiam. Sua deserta Religione, divulgabat *Indissolubilia argumenta Caibolicæ Religionis*, edita Coloniæ 1632. Qua vero egregiè solvit ac discussit Celeb. Jenensium Theologus *Johannes Himmelius in Solutione XII. Argumentorum Hunni Apostate Jenæ 1634.* in 4: Edidit idem Hunnius Coloniæ 1633. *Duodecim Responſa*, vel ut ipse vocat, *Prejudicia*, Abbatii Fuldeni inscripta; eo confilio, eaque mente, ut evinceret, Lutheranos, distante propria conscientia, obligatos esse ad restituenda bona Ecclesiastica, à se occupata ac profanata. Multa de hocce Libro notatu digna attulit *Petrus Bælius in Dictionario p. 1620.* sub voce Hunnius; addatur *Gundling l. c. p. 230. & 242.*

**XXIX.  
LABADIE.**

Locus hic quoque affignandus est **JOHANNI LABADIE**, primum Ordini Ignatiano, postea vero Reformatæ Religioni addicto. Conf. post alios *Kortbolus l. c. p. 904.* & *Sagittarius in Introd. in Hisṭ. Eccles.* p. 1030.

Quis

Quis deprædicare unquam fatis poterit ob insignia in  
Rempubl. Literariam merita PETRUM LAMBE-

CIUM? Virum profundissimæ & stupenda eruditio-

nis. Fuit is Hamburgensis, Holsteniique ex Sorore nepos; cu-  
jus quoque sumtibus adjutus Literarum excoluit studia, pe-  
regrinationem insuper in Belgium & Galliam instituens.  
Juris Doct. honorem in Gallia consecutus, suæque patriæ  
redditus, in Gymnasio Hamb. Professor Histor. constitutus  
est; postea vero rædio conjugii sui infelicissimi & in-  
auspicati cum vetula divite, sed parca & avara, captus &  
Patriam & uxorem deseruit, coetuique Romano sefe aggredi-  
gavit; cuius Sacris & in Belgio jamdiu innutritus esse dici-  
tur à Bartholodo Nihusio, & in Gallia à Jacobo Sirmondo &  
Milleterio; quemadmodum Claudio Sarravius, Senator  
Parisiensi. jam anno 1647. Salmasio significavit. Quam Epi-  
stolam habuit Vir cum eruditio fama, tum dignitate il-  
lustris, Marquardus Gudius, testante Joh Mollero in Isag. ad  
*Historiam Cib. Cimb.* Hinc factum certe est, ut externe Lu-  
theranismum professus cives suos deceperit. Postquam sic  
Hamburgo excesserat, a Luca Holstenio commendatus,  
Curator Bibliothecæ Vienensis electus est, Consiliarii in-  
super & Historiographi titulo honoratus. Certe apud  
Leopoldum Imperat. magna floruit gratia. Ex hac migra-  
vit vita 1680. Conf. de eo Petrus Balius in *Diction.*; Sagittarius  
in *Introductione in Histor. Ecclesiast.* p. m. 205. & Mollerus l. c.

XXX.  
LAMBECI-  
US.

Huic addo Virum non minus celebrem GEORGI-  
UM LETUM, cui certe multum studia debent Histori-  
ca. Natione erat Italus, editus in lucem Bononiæ 1630. Juve-  
nis Jesuitarum informationi & disciplinæ traditus est Co-  
sentia. Hinc Romam à suo cognato vocabatur, qui ipsi  
studium Juris Civilis svadebat; à quo vero omnino abhor-  
rebat. Proinde ipsi auctor erat, ut sefe converteret ad  
Theologiarum studium, sed & ab hoc animus ipsius plane ali-  
enus deprehendebatur. Posthac varia ingressus itinera,

XXXI.  
LETUS.

tandem post eadem absoluta ad cognatum suum reversus est, qui cum adverteret, Letum in Religione claudicare utrinque, in hæc aliquando erupit verba: *Avertat DEUS, ne aliquando in magnum degeneres Hæreticum.* Ego quidem non amplius tibi facultatem eadum mearum concedam. Quibus verbis ad maius novitatis studium incensus est; præfertim cum ab anno ætatis 13. non assensum præbere potuerit doctrinæ de Purgatorio, Transubstantiatione, reali Corporis Christi præfentia in S. Coena. Rebus ejus sic comparatis, in Galliam fæse contulit; hinc Genevam, ubi per 6 menses commoratus, Lausonum (Lausanne) adiit. Ibidem innoruit Joh. Anton. Gverino, Medico experientissimo, cuius & ædibus postea fruebatur. Hujus inductus consiliis, Sacra Religionis Reformatæ amplexus est. Eidem Gverino adeo carus extitit Letus, ut & ipsum matrimonio sue filii in arctissimam affinitatem reciperet. Anno 1660. Genevam reversus, civitate donatus est; qui honor haecenius nulli contigerat Italo. At enim vero cum ipsi ibidem moverentur dissidia, Parisios adiit; hinc 1680. pedem promovit in Angliam, ubi clementissime à Rege exceptus, titulo Historiographi insignitus est. Cæterum ob nimiam scribendi libertatem ex Anglia pulsus, Amstelodamum petiit, ubi & Anno 1701. obiit, morte subitanea correptus. Conf. *Eccardii Monathliche Augsuge 1702.* Mense Januar. p. 63. Sane scriptor extitit rara felicitate, dum insignia multaque monumenta ex fœcundissimo ejus profluxere ingenio, ut hinc merito in classem Polygraphorum conjiciatur; (quorum Historiam propediem quoque suppeditabo.) Quomodo vero tot scripta, quorum pleraque circa Historicum versantur argumentum, potuerit confidere, ipse exposuit Letus in Præfatione Theatri Belgici, quæ repetuit *Eccardius l. c. p. 53.* De scriptis ejus conf. Cl. Arndiu in *Bibliotheca Politico-Herald.* p. 182. seqq.

XXXII.  
**LIPSIUS.** Varia Religio *JUSTI LIPSII* facit, ut ejus quoque hic injiciatur mentio. De Religione ejus multa, eaque diversa offendes judicia. Sane fuit in eadem admodum lubricus & mutabilis; vid. *Sruvii elegans Programma*, quod pro-

prostas sub titulo: *Doctus, Achens.* Erat quidem Vir doctrina excellens; at vero & summa eminebat constantia. Jenæ enim aliquamdiu vixit docuitque, simulans Religionem Lutheranam; ceterum Jena relata, Professor in Academia Leidensi constitutus est, Reformatam professus Religionem; Hinc, uxore eum instigante atque inflammante, Lovanium adiit, Religionem amplexus Romanam. Postmodum Bruxellas à Rege Hispaniarum vocatus est; collato in eum Coniliarii & Historiographi titulo. Fata & vitam ejus uberiorius exposuit *Clurmundus l. c. P. I. p. 97.*

Eandem inconstantiae famam sibi contraxit JCtus eruditioне insignis, & judicio præstans **CAROLUS MOLINÆUS**, Parisiensis, JCtorum sua ætate facile princeps, quippe qui tantam sui excitavit opinionem, ut ipsius auctoritas æquipararet auctoritatī Papiniani & Ulpiani. At in Religione admodum inconstans fuit; Patronus enim & defensor antea Reformatorum, postea horum hostis infessissimus & asperrimus exitit, traducens eosdem in Libellis supplicibus, Regi oblatis, nomine Fanaticorum ac feditiorum. Quae res nonnullis fecit locum credendi, acsi à Pontificiis ad Calvinianos accesserit; ab his vero rursus ad Pontificios redierit; conf. *Dn. Struvii Bibliotheca Antiqua* 1705. Mense Januar. p. 41. Fata ejusdem inter alios quoque persecutus est *Sammaritanus l. c. Lib. II. p. m. 69.*

Gallo huic alium addo Gallum. **JOHANNEM XXXIV.**  
nempe **MORINUM**, Virum in Linguis Orientalibus versatissimum, Briesis, Parentibus Reformatæ Religioni addictis natum, atque in eadem educatum. Literarum studiis Lugduni excultus, Lutetiam concessit, ubi svasu *Perroni*, sue pariter fidei desertoris, (de quo mox) Romanæ Religioni nomen dedit, Ordini Congregationis Oratorii adscriptus. Obiit tandem Apoplexia tactus. De singulari ejus hypothesi conf. elegans Programma, Magnif. Dn. *D. Mayeri de Anti Scripturaris Recentioribus* p. 9. De cetero conf. vita *Johannus Morini*, præfixa excusis Londini, & recusis Lipsiæ

VXXX  
RULIENSISXXXIII.  
CAROLUS  
MOLINÆUSVXXX  
RULIENSIS

MORINUS.

Lipsiæ Antiquitatibus Ecclesie Orientalis; cuius vitæ consignatæ auctōr esse putatur Richardus Simon, referente Cl. Placcio in *Theatro de Pseudonymis & anonymis C. V. de scriptoribus Historicis p. 312.* Addatur Colomesius in *Gallia Orientalis p. m. 166. seqq.*

**XXXV.  
NESSELIUS.**

Ab hoc me converto ad **DANIELEM NESSELIUM**, Ulcensem Luneburgicum, qui jaftis in Gymnasio Luneburgensi Literarum fundamentis, studia Rostochii excoluit, animum maxime convertens ad studium Historiæ Jurisque Publici; cum quo elegantiorem Literaturam egregie conjunxit. Verum Viennæ, fvasu Comitis de Harrach permotus, suam cum Pontificia mutavit Religionem. Idem ille Comes de Harrach eum adeo commendabat Leopoldo Imperatori memoriae gloriosissimæ, ut & in defuncti Lambecii sufficeretur locum; cuius vero diligentiam non fuit affectus; nimium namque gula sue indulgebat Nesselius, hinc lepidum hocce ipſi confectum est Epitaphium; *Hic situs est Nesselius; cuius res Literaria jacturam passa est nullam; Bibliopolia paucam; Oenopole multam. Conf. omnino Clarmund l.c. P. V. p. 147. & Ecardus in s. Monastischen Auszügen 1703, p. 333. & 1701, p. 70.*

**XXXVI.  
NIHUSIUS.**

Hiuc affōcio **BARTHOLDUM NIHUSIUM**, qui natus est 1589. Wolpæ, urbe ditionis Brunsv. Positus studiorum fundamentis in Ludis Literariis Verdensi & Goslarienti, Anno 1607. Helmstadium adiit; At vero tenues ipsi erant opes, nullæ facultates, adeo, ut vix vitam sustentare, famemque propulsare valeret; quare Cornelio Martino, Log. Prof. suum addixit famulitum per quadriennium. Obtinuit deinde à Philippo Sigismundo, Osnabrugensem Episcopo, studiis suis subsidium, seu ut vocari solet stipendium. Cæterum ambiguum hæsit inter Theologiae & Medicinæ studium, ad Melancholiam valde proclivis. Tandem vero, ut *Calixtus* loqui amat in *Digressione de Arte Nova p. 127.* Sacra Theologia studia animo dissidente & vacillante tractabat. Anno 1616. ipſi educatio & institutio duorum adolescentum Nobilium demandata est, quos rexit in Academia Jenensi. Post

Post elapsum aliquod temporis spatium adscitus est in Aulam Vinariensem, junioribus nonnullis è generosissima illa Prosapia Principibus erudiendis admotus. Hinc, nemine præmonito, Coloniam abiit, & ad Pontificios defecit, *intus & in cœte papisificatus*, quemadmodum ipse Nihusius loquitur in quadam ad Horneum Epistola. Posthac Monialibus Cœnobii Haldenslebensis præfectus est; Certe memorabile est, quod de eo narrat *Calixtus l. c. p. 143.* eum nimirum, hic degentem, insania fuisse corruptum, & cubiculo clausum nihil sani vel dixisse vel fecisse. Denique ad Abbatis Ilfeldensis dignitatem electus est, adeo ambitio-ne vexatus, ut prætenderit titulum: *Euer Gnaden/ & Gnädiger Herr*; referente iterum *Calixto l. c. p. 144.* Cæterum ea postea in bello Svecico exutus, in Hollandiam concessit, ubi & suam finiit vitam 1657. Conf. de eo passim *Calixtus l. c. p. 121.* 127. 130. 131. & 144. It. *Betius l. c. p. 223*l.* seqq.*

Post hunc produce Virum immortalis gloriæ, *UL-  
RICUM OBRECHTUM*, Prætorem Regium Argentoratensem, qui auras vitales hauiire coepit Argentorati 1646. oriundus à Celeberrimi nominis JCto Georgio Obrechto, fatis suis notissimo. Studiis noſter quidem vacavit in variis Germaniæ Academiis; postea vero Muscoviti cujusdam Legati filium rexit in Itinere, Venetas directo. Reduci ipſi Argentoratum facto munus Profess' demandabatur. Cum occupatum Argentoratum Rex Galliæ 1681. ingredetur, inter alios Regem sequebatur Pelisson, qui, contrafacta cum Obrechto amicitia, omni ratione laborabat in eo ad Papismum ducentio; quippe cum adverteret, multa Obrechto adhærere dubia ex Historia Eccles.; sed res tum quidem suo desituebatur successu. Postea vero cum fixerant, contulit, à quibus commotus, Religionem Lutheranam Parisiis coram Episcopo Meldensi (Meaux) abjuravit anno superioris Seculi 84. (auctor der Historischen Re-marqv. ponit annum 85.) Unde factum fuit, ut Rex Galliæ

D

eum

XXXVII.  
OBRECH-  
TUS.

eum honore Prætoris Regii decoraverit. Postmodum quoq;  
munere Legati functus est in causa Electoris Palatini, Fran-  
cofurti ad Mœnum pertractata. Francofurto Argentora-  
tum reversus obiit 1701., exhibita ipsi S. Synaxi sub una tan-  
tum specie. Conf. Eccardus l. c. 1702. Mensē Januar.

XXXVIII.  
OCHINUS.

Oppono huic decantatissimum illum **BERNHAR-**  
**DINUM OCHINUM**, Senensem. Recipiebatur ini-  
tio in S. Francisci Ordinem de Observantia; sed eo relatio,  
Capucinorum habitum afflumis, quorum & Generalis de-  
mum 1540. constitutus est. Acquisita sibi magni nominis  
famā, in primis ob oris facundiam, per Italiam mittebatur,  
Pontificiorum ut prædicaret dogmata. Neapolin cum ve-  
nisset, Johannem Valdesium, Hispanicum JCtum, ibidem  
offendit qui, cum apud Germanos gustum aliquem hauisset  
doctrinæ Protestantium, eandem Ochino instillavit. Quare  
ibidem 1542. acerrime in Pontificiorum fastum pro con-  
cione invectus, Romam vocabatur, suæ censuræ ut redde-  
ret rationem. In itinere constitutus, incidit Florentiæ in  
Petrum Martyrem, qui ipsi referebat, animum Papæ in e-  
um valde esse odio incensum. Quare cepit consilium  
derelinquendæ Italiae. Quod & factō adjunxit, Genevam  
se recipiens; fugam ejus adjuvante Duciſſa Ferrariensi, ve-  
stes aliaque necessaria ipsi subministrando. Rationes quo-  
que sui discessus exposuit in quadam Epistola ad Mutium  
Justinopolitanum directa. Defectio ejus adeo irritavit Pa-  
pam, ut de extingendo & abolendo toto Capucinorum  
Ordine cogitaret. Initio quidem ipsius adventus Helvetiis  
movit suspicionem, ac si forte proditionem moliretur; at  
postea de ipsis fide certiores redditi, publice prædicandi  
ei concessere facultatem. Reliqua fata, quæ Ochinum per  
exilium mansere, exposuit Dn. Stravius in Biblioth. Antiqua  
1706. Mensē Januar. p. 21. conf. & de eo Belius in Dictionar.  
p. 2237. & Observation. Hallens. Tomo IV. Observat. XX.

XXXIX.  
OUDINUS.

Paria cum Ochino fecit Vir in Re Literaria versatissimus,  
**CASIMIRUS OUDINUS**. Hic in Gallia erat Pres-  
byter

byter Præmonstrantensium, sed deserta Gallia, Religioni Pontificiæ nuncium misit, in Hollandia placitis Reformatorum subscribens. Oudinus studiorum suorum rationem reddidit Magnif. Dn. D. MAYERO nostro in peculiari Epistola, quæ lucem vidi publicam Lugduni Batav. 1692, in 4., aliquot saltē plagulis constans.

E contrario Vir desertissimus **JOACHIMUS**

**PASTORIUS** ab **HIRTEMBERG**, Sileius, **PASTORIUS** primum in Gymnasiis Elbingensi & Dantiscano Professor Honorar. ad castra transgrediſſus est Pontificiorum; postea Protonotarius Apostolicus, ac Canonicus &c. factus; qui obiit Frauenburgi 1681., postquam annos 71. expleverat. Certe varia ingenii monumenta, à styli nitore maxime commendanda, orbi reliquit Literato, quæ recensuit *Arndius in Bibliotheca Aulico-Politica p. 56. & Struvius passim in Bibliotheca Historica.*

XL.

Neque nobis omittendus est Vir excellentis ingenii **ISAACUS PEIRERIUS**, quod vero male loca **PEIRERIUS**. vit in Tractatu de *Præ-Adamitis*. Erat is natione Gallus, Religione primum Calvinianus, postea Pontificius. Scilicet edito ſcripto de *Præ-Adamitis*, Bruxellis in carcerem coniiebatur; quem nulla alia re redimere poterat, quam per ejuratum Calvinismum, & dictum de *Præ-Adamitis* Librum. Edidit proinde *Epistolam ad Philionum*, qua exponit rationes, propter quas ejuraverit *Sextam Calvini, & Librum de Præ-Adamitis*, Francof. 1658. Postmodum vero vixit apud Patres Oratorii Parisinos, ad mortem usque suo dogmati adherens. Conf. *Struvius in Introductione ad Notit. Rei Liter. p. 456. Kortbolus l.c. p. m. 904. it. Dn. D. Fechtius in Dissertatione, proftante sub titulo: Preadamitismi recens incrustati Examen p. 8.*

XLI.

Hunc excipiat **CHRISTOPHORUS PELARGUS**, Svidnicensis, natus 1563. Extitit is primum Lingvæ **PELARGUS**. Graece Prof. in Academia Viadrina, postea Theol. Doctor & Prof., Pastor Francofurt., ac totius Marchiæ Superintendens Generalis, defunctus 1633. Vir erat egregie doctus,

D<sup>2</sup>

magnus-

magnusque Theologus. Primum sese professus est Calvinismi hostem atque osorem, sed ab hocce odio postea defecit, & à Lutherismo ad Calvinismum decessit. Sane artem simulandi adeo bene calluit, ut per integrlos 15. annos foris & quoad verba Lutheranus, intus tamen & quo ad rem Calvinianus fuerit, teste *Meisnero in Questionibus vexatis questione ultima.* Conf. *Nova Literaria Germaniae* 1705. p. 288.

**XLIII.** Contra vero à Reformatis ad Pontificios transit **PELISSONI-** **PAULUS PELISSONIS**, insigne illud Academie Francicæ ornamentum, & Vir ab oris facundia maxime commendandus. Certe benigna adversaque usus est fortuna. Initio quidem Romanæ Religionis adversarius erat, postremo vero summus propugnator; fato suo functus Parisiis 1693. die 7. Februar. De ipsis obitu, quod Sacramentis, ritu Romano non receptis, decessit, diversa sunt iudicia, prout homines ad partum trahuntur studium; hinc Romano-Catholicis subitaneo animi deliquio hoc solamine ante extrema destitutum eum suisse contendentibus; inde Reformatis, consulto, & purioris doctrinæ sensu in præcordia redeunte, neglectas, quas serio nunquam probaverit, ceremonias arguentibus; prout refertur in *Actis Lipsiens.* 1693. p. 336. Vitam ejus exhibuit *Peralta in Elogiis Virorum illustrium* p. 135. conf. & *Bellius in Dictionario* p. 2341.

**XLIV.** Insigne Religionis desertæ exemplum nobis quoq; sup-  
**PERRONIUS.** peditat **JOACHIMUS DAVID PERRONIUS**, Gallus, natus 1556. sanguinem suum ex Genere Nobili dicens. Parentes natus fuit, Religionem Calvinianam se-  
cutores, cuius & placitis à primis innutritus erat annis. Con-  
tigerat ipsi excellens ingenium, aptum in primis ad studia  
elegantiora pertractanda. Academicis vacans studiis, dili-  
gentissime perlustrabat excutiebatque Patres; neque abhor-  
rebat à studio Poëeos, cuius & insignia dedit specimina.  
Verum inexplebili honoris fame vexatus ab ineunte ætate,  
Religionem deferebat Reformatam, ad Pontificios acce-  
dens, præsertim cum Philippus Porta, Vir auctoritate emi-  
nen-

nentissimus, & divitiis florentissimus, ipsi aditum parasset ad Gratiam favoremque Aulæ Gallicanæ. Certe hinc Reges Galliarum, Henricum III. & IV. ipsumque Papam Clemensem VIII. in sui rapiebat admirationem atque amorem, adeo ut ad Episcopalem, & Cardinalitiam evehheretur dignitatem. Pontifici ipsi admodum quoque illius venerantur auctoritatem, vocantes eum *flagellum & malleum Hereticorum, item præcipuum Religionis Catholice defensorem.* Non inutile putaverim & hocce addere, eum quidem omnes ingenii nervos contulisse ad Pontificiorum dogma de Transubstantiatione stabilendum & corroborandum; ceterum rei veritate convictum, nunquam eidem vere subscriptissime. Quemadmodum non multo ante mortem, qua functus est 1618. sibi familiaribus confessus fuit. Plura de eo suppeditat Clarmund. l.c. p. V. p. 77. seqq.

Hic ut addam alium Gallum, utpote Summum illum JCtum PETRUM PITHOEUM, facit auctoritas Iosephi Scaligeri. Nimirus Pitheus, natus 1539. Parentibus Religionis Reformatæ, Literas in Academia Parisiensi excoluit, ibi quidem unice admiratus Turnebum; postea vero Avarici Biturigum audivit magnum illum Jacobum Cujacium, quo in primis præceptore fuit usus in addiscendo Jure Civili. Initio quidem Reformatam professus est Religionem; at, quemadmodum Josephus Scaliger auctor est, tempore Lanienæ Parisiensis, mortis metu commotus, eidem renunciavit; licet alii velint, eum jamdiu ante Lanenam istam, Protestantium deseruisse Communionem. Conf. de eo Sammaritanus l.c. Lib. 4. p. 97. & Dn. Struvius in Bibliotheca Antiqua 1706. p. 1. & Clarmund. l.c. p. VI. p. 82.

Ex Gallia pedem promovemus in Germaniam nostram, quæ nobis sifit JOHANNEM PISTORIUM, affilium illum Historicorum Germanicorum collectorem. Is ex Hassia oriundus, relicta Religione Lutherana, Romanæ Ecclesiæ se se addixit, multosque alios, & in his Jacobum, Marchionem Badensem, ad Pontificiam seduxit Religionem. Tandem Rudolphi Imperatoris Consiliarius factus, apud omnes gratia floruit, usque dum debitum naturæ solvit Friburgi.

D 3

XLV.  
PITHOEUS.XLVI.  
PISTORIUS.

burgi. Conf. de eo *Freberus in Theatro Virorum Eruditiorum p. 348.*  
*& Sagittarius l. c. passim.*

**XLVII.** **PRÆTORIUS** *H*uic subjungo *Historicum non minus præstantem MATTHÆUM PRÆTORIUM*, *Præpositum Wai-heropolitanum, & Johannis III. Regis Poloniarum Historio-graphum;* quam provinciam ipsi peperit Religio ejus Lu-therana cum Pontificia commutata. *Scripta ejus passim re-censet Dn. Struvius in Bibliotheca Historica;* & *Gabriel Groddeck in Schediasmate elegantissimo de scriptoribus Historiae Polonicae,* di-vulgato Gedani 1707. in 4.

**XLVIII.**  
**REIHIN-**  
**GIUS.**

*VIX*  
*BUTORES*  
*REICHIN*  
*GIUS.*

Contrarium deprehendimus in Viro insigniter docto **JACOBO REHINGIO;** cui natalis locus contigerat Augusta Vindelicorum. Is initio Pontificiorum imbutus Sacris, & summos honores apud suos consecutus, tandem Papismo 1620. valedixit, ad Lutheranos transiens, oratione revocatoria publice ab eo recitata. Notata digna sunt, quæ de eo resert *Götzius l. c. p. 49.* quod nimurum, perlustrato Matthiæ Hœ ab Hœnegg Manuali Evangelico, inductus ad Lutheranorum acceperit partes, atque sic ex Romanæ Ecclesie propugnatore ejusdem oppugnator factus. Conf. & *Roli-*  
*tius l. c. p. 290.*

**XLIX.** **SANDOVAL.** *H*uic succedat **ANTONIUS SANDOVAL,** Eques Hispanus, qui 1660. Hafnia à Religione Romana ad Lu-theranam acceperit. Cæterum brevitati studens, remitto saltem B. L. ad *Götzius l. c. p. 24.* & *Rollium l. c. p. 60.* qui uberioris hæc exposuere.

**L.**  
**SCIOPPIUS.**

*VIX*  
*BUTORES*  
*SCIOPPIUS.*

Cæterum majorem in Orbe Literato dedit strepitum **CASPAR SCIOPPIUS,** magnorum non saltēm ingeniorum, verum etiam Summorum Imperantium obtre-ctor. Erat is Palatinus, infimæ fortis familia oriundus, Præcocis ingenii homo anno ætatis 16. Altorum studiorum causa se contulit, amans in primis ea, quæ dicuntur Critica, quibus penitus erat deditus, pendens in primis ab ore Cele-ber. Conradi Rittershusii, qui ipsi quasi viam ad eleganteria munivit studia. Hinc in Belgium se contulit; cum vero i-hidem res ipsius voto non responderent, præsertim cum illud

illud Viris eruditissimis afflueret, in Germaniam reversus, Ingolstadii commorabatur Giphanii gratia. At vero cestro ambitionis percitus, (erat enim homo insolentis & elati animi, & in concupisendo honore immodicus) Religionem suam cum Pontificia commutabat, causamque Pontificiorum summi animi vehementia, summoque furore & ardore postea tutatus est. Post multas Italiam urbes perlustratas, Romam adibat, ubi per eruditionem & fervorem contra Protestantes multorum Cardinalium, Regum Principumve in se convertit gratiam. Inprimis vero gratia floruit apud Ferdinandum II. Imperatorem, qui ipsum non solum dignitate Consiliarii honoravit, verum etiam ornamenti & insignibus Nobilitatis donavit. Ceterum licet esset Pontificius, Jesuitas tamen mire traduxit; passim namque in suis scriptis ægerrime ipsis fecit; Speciminis loco conferatur ejus *Infama Famam p. m. 60.* ubi assentatores dicuntur Jesuitæ; & p. 118. ubi vocantur *impudicitie defensores*; certe multa ibi impudica adfert, quæ omittere debuisset, ut legentium parceret castitati. Paucis: Erat virulentissimus Censor, ut hinc non immerto *Flagellum Grammaticorum* vocetur. Optime in eum quadrant, quæ de ipso pronunciavit *Baclerus in Seculis IV. à C. N. prioribus p. m. 83.* ubi ita: *De quo (Scioppio) illud verum fuit in Re Literaria, quod de Ifmaële dicitur, quod omnium manus contra ipsum, ipsiusque manus contra omnes fuerit.* Ita ille. Consideres modo Jesuitas; quorum integrum in se concitatbat cohortem. Conf. de eo *Baylius in Dictionario p. 2680.* & *Clarmundl. c. P. IX. p. 105.*

Gallia nobis dedit multos Viros, qui suam commutauit Religionem, quibus subjiciatur Vir eleganter doctus  
**SAMUEL SORBERIUS;** natus is 1615. Lutetiam adiit 1639. Arti salutari suam addicens operam. Post aliquot itineraria, in Hollandiam directa, reddit in Galliam, ubi 1650. Arau-  
 sione primus Medici Collegii factus, circa finem anni 1653. Re-  
 formatam cum Pontificia commutavit Religionem, indito si-  
 bi *Josephi nomine, editaque Parisis, ubi tum quidem temporis*  
*commorabatur, mutatae fidei ratione.* Quibus rebus accidit,  
 ut à Clero Gallicano 400. & à Cardin. Mazarinio 300. Libra-  
 rum

LI.  
**SORBERIUS.**

rum acciperet pensionem. Obiit 1670. Reliqua, fata ejus concernentia, exponuntur in vita ejus, *Sorberianis* præfixa, quæ prodiere Parisiis 1694. in 12.; de quibus conf. *Aetæ Lipsiens.* 1694. p. 159.

LII. Nostræ Tractationi inferendus quoque mihi videtur famosissimus ille **BENEDICTUS de SPINOZA**,

Patre Judæo 1632. Amstelodami progenitus. In Religione quidem Judaica educabatur; sed ob dogmata, quæ fovebat, ab ipsis Judæis notatus, Synagoga excludebatur. Excommunicatus sic, atque Ex-Judæus factus, Reformatorum Sacris fœse associabat. Qua re motus ceperat consilium Hispanice divulgandæ Apologiae, proditurae sub titulo: *Apologia pro Spinoza à Judaismo Apostasia*, in qua constituerat docere rationes superstitionis Judæorum à fœse ejuratæ. Cæterum cum in illa impia sua dogmata contra auctoritatem V. T. temere jam disseminasset, amicorum suorum fœsum istum suppressit, ut ne typis exscriberetur publicis. Postmodum tamen, teatius licet, suas impietas Tractatui suo Theologico-Politico infarcire, fumosque suos lumini obsundere ausus fuit; notante *Salomone van Til in Atrio Gentium, omnibus infidelibus aperito* p. 5. & *Goril. Friderico Jenichen in Historia Spinozismi Leenhoferani* p. m. II. De cætero conf. de Spinoza *Job. Colerus in Vita Spinoza*; ut & *Balius in Dictionario* p. 2767. It. *Sebast. Kortholtius* in repetita editione Parentis sui Libri, qui inscribitur: *De Tribus Impostoribus Magnis*; Hamburgi 1700. in 4.

LIII. Cæterum præclarius de genere humano meritus est **JOHANNES STURMIUS**, Vir in Eloquentia, aliisque Philosophiae partibus versatisimus, quem Sleida 1517. genuit. Annum ætatis decimum nondum egressus, missus est Leodium, ubi in Collegio Fratrum, quemadmodum vocari amat, studiorum gratia degebat. Postea vero 1524. Lovanium concessit. Hic per quinque annorum spatum commoratus, Parisios adiit, animumque ad Artis salutaris doctrinam convertit. At vero, Religione Romana deserta, Luterenam doctrinam sequebatur; qua re multorum sibi conflabat odia, adeo quidem, ut fœpissime vita adiret periculum. Hinc saluti consulturus, Argentorati securitatem quarebat, imo

imo & inveniebat; Scholæ namque Argentinensi admovebatur, quam & summa cum laude rexit ac moderatus est. Non possum non, quin hic commemorem singularia quedam, quæ de Sturmio refert Bartensteinius, Prof. Argent. in *Oratione de Reformatiis Argentoratiensibus, ipso tempore Regiminis Academicis demortuis*; habita Argentorati 1705. & recentita in Novis Literariis Germaniæ 1706. p. 280. Nimirum cum per 40. annos summa cum nominis gloria Scholæ Argentinensi Rector præfuisse; Zwingli autem & Calvini dogmata obtrusum ivisset toti civitati, & in causa Religionis vicino etiam Electori Lutherano, Ludovico Palatino, cœpisset esse gravis, famæ suæ maculam πολυπεγμονίαν inusit, & eodem urgente Principe ab officio in senili estate dimissus, tandem Ex-Rector mori necesse habuit. Hactenus ille. Cl. Thomas Crenius in *Animad. Hist. & Philol. P. VI.* taxat in Sturmio nostro rarissimam templorum frequentationem. De cætero conf. de eo Cl. Baylius in *Dictionario* p. 2807. & Clarmund l.c. P. I. p. 149.

Sturmium sequatur celebris quidem Historicus, at multorum etiam mendaciorum confistor **LAURENTIUS SURIUS**, Lubecensis; qui à Parentibus Lutheranis puer Coloniam missus, ibidemque Religione imbutus, Carthusianorum ordini nomen dedit; demortuus 1578. In primis vero animum appulit ad consignandam Historiam, emulatione Sleidanu inflammatus atque instigatus; cuius vero judicium & doctrinam ad scribendum non attulit. Sane turpiter fese dedit, hoc in primis sibi propositum ac præstitutum habens, Sleidanu ut suas opponeret fabulas, & Catholicorum promereretur gratiam; Sæpe proinde in Lutherum & Melanchthonem gravissime invectus est. Conf. de eo Baclerus in *Libro Memoriali de Rebus Seculi XVI*. p. 708. & Sagittarius l.c. p. 127.

Ordo demum nobis sistit accuratissimum illum Academiae Duisburgensis Criticum **JACOBUM TOLLIUM**, Virum eleganter quidem doctum; sed animi valde mutabilis, varii ac fluctuantis. Natione erat Belga; Patremque natus est Adrianum Tollium, Medicum apud Lugdunenses Cæberrimum. Quemadmodum vero noster erat varii ingenii; sic & variae extitit Religionis. Religionem enim Pontificiam Bruxellis amplexus est: Cumque diu versatus esset in Italia &

E

Au-

LV.  
JAC. TOLLI-  
US.

LIV.  
SURIUS.

IV.  
JUVANI  
LITERARI  
SULLI

Aula Imperiali, repetit Hollandiam, ad Reformatos rursus accedens. Postea vero in Italia iterum dicitur meditatus fuisse Religionem Pontificiam assumendam; sed repulsam à Pontifice tuit. Reversus proinde est Duisburgum, ubi Professoris Histori munere functus est. Indultu Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburg. ex Academia Duisburgensi varias Regiones 1678. perlustravit, utpote Austria, Hungariam, atque Italiam, cuius itineris fructum Orbis Literatus ex Epistolis ejus Itinerariis percipere potest; quippe qua luci publice exposita fuere post fata Auctoris 1700. in 4. suam enim finit vitam 1696.; in qua cum variis conflictari habuit casibus, omnibus fortunæ lusibus obnoxius.

LVI.  
EMANUEL  
TREMEL-  
LIUS.

E Judaismo ad Christianismum conversus est, Vir Ebræus Linguae callentissimus, **EMANUEL TREMELLUS**, Gente Judæus, natione Italus, editus scilicet in lucem Ferrarensis; ubi S. Sanctæ Regenerationis lavacro tinet nomen dedit Christianismo; ita quidem, ut ad Calvinistarum accederet partes. Pontificii equidem omnem movebant lapidem, ut eum ad suam pertraherent Religionem; sed frustra. Cum igitur hac ratione illorum vexationibus arque injuriis deberet esse obnoxius. Luccam se contulit cum aliis sive Religionis hominibus. Sed neque hic ab insultibus liber, in Germaniam concessit. Reliqua vitam ejus concernentia habet Clarendon l. c. p. VI. p. 128. It. Bæcler. l. c. p. 773.

LVII.  
le VASSOR.

Seculo hocce praesenti de Historia præclarissime meritus est **MICHAEL le VASSOR**, Gallus, Aurelianensis, Ordinisque Ecclesiastici; sed Religionem Reformatam amplexis in Angliam se recepit, ubi juris fecit publici *Historiam Ludovici XIII.* ex variis auctoribus congestam: Cæterum summa libertas, qua in consignanda ea fuit usus, effecit, ut multorum incurrit offenditionem; Quid? quod libertate ejus tantopere offensus dicitur modernus Galliarum Rex Ludovicus XIV. ut certam pecuniam summam in caput ejus constituerit; & sancti capitis penam, ejus Libri possessionem in suo Regno prohibuerit. Conf. de cætero Ecardi Monach. Auszüge 1700. Mensis Martio p. 39. & 439.; Cl. Meibomii Differ. de Gallica Historie Periodis, ac precipuis scriptoribus p. m. 22. ed. in 8. procurata cum aliis à Viro Cl. Job. Alb. Fabricio, Hamburgi 1708. in 8.; it. Stravii Biblioth.

Biblioth. Histor. p. m. 332; vid. & Bierlingius, Histor. & Elogi. Prof. Rintelenfis, in *Meditationibus de Historia, Philosophia, & Arte Oratoria*, editis Rintelii 1706, in 8., qui Opus hocce Vasingtoni laudat quidem; esse tamen in eo multa, quæ rigidum examen vix sufficere, exemplo Monmorancii ostendit. Add. *Nova Literar. German.* 1707. p. 105.

Adjungo huic alium Gallum, nonminus Celebrem utpote **HIERONYMUM VIGNERIUM**, filium Nicolai **VIGNERIUS**.

Vignerii, Medici experientissimi, & Polyhistoris celeberrimi. Vitam Hieronymi nostri exhibuit *Peraltus in Elogiis illustrium in Gallia Virorum Tomo II.*, ex quibus excerpta quoad Vignerii fatu habentur in *Actis Lipsiens.* 1701. p. 245. Menor orabile est, quod de eo retulit Peraltus; eum nimurum juvenem tam exactam sibi acquisivisse notitiam Juri Civilis, ut anno ætatis 16. dignitas Licienciati in ipsum fuerit collata. Praetoris deinde officio funditus est Balgentiaci. Cæterum ejurata Religione Reformatorum, qua imbutis erat, Romanam amplexus est, Ordini Carthusianorum adscriptus. Cum vero Ordinis hujus severitati preferenda non sufficeret, Patribus Oratoriis Jesu Christi associatus est; cumque hujus Congregatio res in Turonensi, Rupellensi, & Lugdunensi ditione prope expeditisset, Oratori denique ad S. Maglorium Parisiis præfectus fuit. Excelluit in primis in studio Genealogico; gnaviter quoque versatus in notitia Rei Nummarie.

Varios haec non, quin hic quoque recolam memoriam **MATTHÆI WESENBECHI**, Jcti Celeb. Natus is est Antwerpia 1531. Juris Ci-

vilis addiscendi cupiditate flagrans, Lovanium mittebatur, ubi disciplina & convictu summi illius Jcti Gabrielis Mudae irebatur. Audiamus, que de ipsi confessorum *Jur. Jenens.* p. m. 22. Nimurum cum Lovaniii Jurisprudentia vacaret, Sacris adhuc Pontificiorum innatritus; erat ibidem quidam Sartor, utroque lumine orbis, qui invisere solebat agrotos, ut ex S. Scripture dictis, qua memoria tenebar, consolationem ipsis adhiberet, quod officium homines pii caseis & pane remunerabantur. Is à Pontificiis heresibus, quam vocant, Lutherana insimulatus, in carcere conjactus fuit, in pomerio urbis exstrutum, ita, ut cuiilibet ad illum pateret aditus. Hunc cœcum in Ergastulo Pfulmos Lutheri & recta & elata voce canente Wesenbecius, cum reliqui studiose pilula lusoria se in illo loco exercerent, non etra periculum attentissimo animo

sepe audivit. Hac re tandem motus, ecepit Biblia diligenter evolvere, adhibita lectio Librorum à Luthero & aliis editorum, quorum tunc temporis copiam habere potuit. Ita Zeumerus. Verum enim vero hanc communem narrationem omnino rejecit *Gundlingius P. III. Otorum p. 217*, observans, Wesenbecium dictasse, cognitionem suam Religionis Lutheranae similem sive alluvioni. Conicet igitur *Gundlingus p. 223*, quod Wesenbecius forte in Gallia motus Evangelicae Religionis senferit, qui denique in Germania eruperint. Polvifam enim Galliam in Germaniam concessit superiorem; Cumq; Jenam venisset, constitutus ibidem fuit Prof. Juris; postea vero Wittebergæ in Johannis Schneidwini locum surrogatus, docuit, ubi ex hac emigravit vita. Quod reliquum est, omnia hoc comparata fusius exponit *Gundling. I. c.*

Agmen denique claudat **JOHANNES WOWERIUS**, natus Hamburgi 1574. Iactis studiorum fundamentis, mittebatur Lugdunum Batavorum. Quinquennio ibidem exacto, in Galliam se conrulit, & hinc in Italiam, ubi multis Cardinalibus, ipsique Pontifici carus extitit, adeo, ut Papa annua pensione cum alere decreverit. Dominicus Baudius auctor est, illum, vano afflatum ambitione, lucrue cupidine captum, Protestantum Religioni renunciasset; quam tamen suspicione à se amoliri annis fuit Wowerius in Epistola ad Bandium exarata. Hoc tamen certum est, Pontificem valde ipsius fidem tentasse, ac sollicitasse, Romanæ ut Ecclesiae daret nomen; cuius vero preces praetextu adversæ valedudinis blanda averfatione sapienter repulit, quemadmodum Elmenhorstius loquitur in Vita Wowerii, prefixa ipsius *Polymathiae*, recuse Lipsie 1665, in 8. curante Jacobo Thomasio. Quicquid sit, Wowerius fuit vanus, idenque gloria cupidus, & Religionis neglector; afferente *Dn. D. Strazio in Programmate supra laudato p. 24. & in Bibliotheca Antiqua 1705. p. 538.* Certe suam ambitionem haud obfure moriens prodidit; Nimirum cuilibet laudationem funebrem fibi scripsero, ultima voluntaris tabulis LX. Joachimicos destinavit, quos etiam obtinuerunt Elmenhorstius, Adamus Olearius, Nicol. Crusius, aliquae. Conf. de eo *Clarmundus I. c. P. II. p. 74.* *Mollerus in Ifagog. ad Hist. Cherson. Cimb.*

Et hec quidem pro praesenti rerum copia de Eruditis, qui Religionem mutarunt, commentari sufficiant. Illos, qui hic infra sunt relati, alia occasione suppeditabo; habiturus & eorum rationem, qui Pomeraniam nostram doctrina sua illustrarunt; quo resero *Frommum, Tremelium, &c.* Interim O Deus! viam veritatis omnibus singulisque commonistra; Sic enim felicissimus dabitur

**FINIS.**

### Errata Extantiora.

Prater omnem culpam irrepresa sequentia: pag. 8. l. 16. pro suffringas lege suffringas; ibid. l. 18. pro fix ponatur viv. p. 17. l. 18. Ecclesia pro Eccelia. p. 28. l. 10. scribatur PELISSONIUS p. 32. l. 10. pro Ex Indœus scribatur Ex-Judeus. Reliqua Benevolentia Lectiois relinqvo.

-103)(○)(\*)-

OO A 6357



f

56.

vD 18

Jahdo





9.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> HISTORICO-  
LITERARIA  
SISTENS  
SECULI XVI. ET XVII.  
**ERUDITOS LIX.**  
<sup>QVI</sup>  
**SUAM COMMUTARUNT  
RELIGIONEM;**  
QVAM  
*Consentiente Amplissimo Ordine Philosophico  
publicæ disquisitioni subjicent  
PRÆSES*  
**M. ANDREAS WESTPHAL,**  
&  
*RESPONDENS*  
**ANTONIUS PAULI,**  
Anclam-Pomer.  
Jurispr. & Phil. Cultor.  
*Die Novemb. 1710.*  
**IN AUDITORIO MINORI.**  
GYPHISWALDIAE,  
Typis CAROLI HÖPFNERI, Reg. Acad. Typogr.

*Mrs. Stern*